VIRO VENERABILI NESTORI PHILOLOGORUM GERMANIAE GUILIELMO...

Friedrich Wilhelm Schneidewin

VIRO VENERABILI,

NESTORI PHILOLOGORUM GERMANIAE

CHR. GUILIELMO MITSCHERLICH,

SEXAGINTA ANNOS

IN DOCENDARUM DISCIPLINARUM PHILOLOGICARUM

PUBLICO MUNERE

PRIDIE IDUS JANUARIAS A. MDCCCXLV

FELICITER EXACTOS

GRATULATUR

F. G. SCHNEIDEWIN.

Inest brevis disputatio de loco Horatii Serm. II, 3, 18 sqq.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

In summa studiorum, opinionum, morum, amorum, quibus singularum indoles aetatum praeter cetera censetur, diversitate: quaedam tamen ita universis sunt saeculis communia, ea ut ingenita humano generi et ab ipsa natura insita videri debeant. Non dico religionem deorum, non pietatem erga parentes atque suos quaeque reliqua complectuntur Graeci νόμων ἀγράφων pulchra appellatione: alia quaedam in mente habeo non minus ingenerata omnibus, qui vel fuerunt vel sunt, mortalibus. Veluti, ut veniam statim eo, quo tendit disputatio mea, amare ea, venerari, admirari quae terris semota suisque temporibus defuncta vident, et olim consueverant homines et consuevimus hodie. Ita enim animus humanus, praesentium bonorum fastidiosus aestimator, natus et comparatus est, ut oculos vel retrorsum flectere gestiamus in ea quae post nos reliquimus eorumque remotum ex oculis splendorem mente et cogitatione mirifice auctum cum desiderio reposcamus, vel laetissima quaeque sperantes confidamus iis quae instant et futura sunt. Ita aurea aetas contingit utrinque, ferrea in medio est. Amor autem ille παλιδορκος: in eo enim paullisper subsistamus: radicem habet, si quaeris, eandem, qua iuniores aetate viros annis meritisque graves suspicimus, pietatem. Pariter affecti adoramus ea quae sacrata annis superiora saecula loquuntur, admirationemque illorum cum vetustate crescere sentimus. Honesta profecto indoles et quam extinctam nolis, modo iniquitas absit iudicii. Nam laudare praeterita, odisse praesentia male sani est: illud nobile et pietatis opus, nec vetera oblivisci et praesentium bonorum aequum se iudicem praebere. Sed fuere tamen omni memoria, qui eam lineam temere et quodam vel errore animi vel iudicii levitate transilirent in solaque priscorum admiratione defixi iniuriose spernerent quae sua aetas probabilia et laudanda protulisset. Sic vetus querimonia est, in laudibus esse mortuos scriptores et artifices, aequales vituperari praeter aequum.

Innatus iste hominibus amor rerum ipsis annis venerabilium singulis saeculis plus minus emicuit ita, ut vel haec vel illa vehementius amplecteretur. Artium vetustarum, ut hoc utar, vetustissima apud Graecos veneratio. Promam exemplum ex Homero, de multis unum: sceptrum Agamemnonis. Quod cum poeta Iliad. B. 101 sqq. ad originem suam refert divinam — a Volcano enim fabricatum dicit — et curiose, a quibus deinceps pervenerit ad Agamemnonem, enarrat, prodit admirationem operum artis antiquitate sua commendatorum. Nam accurate edisserere originem et fata artium est cum pietate quadam et voluptate prisca intuentium. Nutriebant illum amorem sacerdotes Graeci, qui reliquias vetusti aevi sedulo collectas in templis deorum sancte custodiebant. Θαύματα vocabantur. Pulchrum fuit Graecis venerabundis spectare ea instrumenta, quibus heroes sui usi essent; arma, quibus induti pugnassent; artes, quas manibus suis olim trivissent. Illustrabo exemplis quibusdam, ex innumerabili copia perpaucis. Illud ipsum sceptrum Homerici Agamemnonis Chaeronenses sanctissimis cerimoniis colebant, allatum scilicet in Phocidem ab Electra, uxore Pyladae, v. Paus. IX, 40, 6. Lacedaemone in templo Hilairae et Phoebae ovum Ledae servabant involutum taeniis, Paus. III, 16, 2. Saxum ab Rhea oblatum Saturno pro Iove monstrabant Delphis iuxta Neoptolemi sepulcrum. Paus. X, 24, 5. Quid quod Panopenses Phocidis reliquias luti Promethei in agro suo ostendebant, Paus. X, 4, 3.? Dentes apri Calydonii ex templo Minervae Aleae Tegeatis abstulit Augustus, Paus. VIII, 46, 1., sed pellem servabant, 47, 2. Cumani dentes apri Erymanthii in templo Apollinis iactabant, Paus. VIII, 24, 2.; Calydonii praeter Tegeatas Beneventani, Procop. Bell. Goth. I, 15. p. 349, C. Machaeram Pelopis in thesauro Sicyoniorum Olympiae vidit Pausanias VI, 19, 3. Lavinii, teste Catone R. R. II, 4, 18., *simulacra XXX porcorum alborum ahenea etiamtum in publico posita et corpus matris ab sacerdotibus, quod in salsura fuerit, demonstrabatur.* Fragmentum Argus denique, quae fuit ignoti prima carina maris, Romae servatum celebrat a sanctitate Martialis VII, 19.

Verum nihil antiquius videtur fuisse veteribus, quam ostentare ea quae ad res Troicas pertinerent et illustrium heroum illorum haberent memoriam. Quod quis miretur in tanta Homericorum carminum celebritate? Vel incudes, quas Iuppiter pedibus Iunoniis appenderat, a periegetis in Troade monstrari auctor Eustathius est Iliad. p. 15, 30. Alexandro Macedoni Ilium lustranti offerebat aliquis officiosior, velletne lyram videre Alexandri Priamidae. At ille «Achillis»,

inquit, »mallem, eam, ad quam is fortium virorum virtutes cantabat«, Plutarch. in vita Alex. XV. Ista quidem lyra vel delituit alicubi vel casu naufragiove absumpta periit, opinor: hastam Achillis in templo Minervae videre licuerat Phaselide, Paus. III, 3, 6., ut Nicomediae in aede Aesculapii gladium Memnonis, puta eum, quem Aethiopidis poeta eleganter exornarat. Thurii cum sepulcro Philoctetae visebantur *Herculis sagittae in Apollinis templo, quae fatum Troiae fuere*, Iustin. XX, 1., qui addit, Metapontinos quoque in templo Minervae ferramenta ostentare, quibus Epeus, a quo conditi sunt, equum Troianum fabricaverit. Possum constipare alia: sed haec sufficiunt. Plura volentibus praesto sunt quae praeter I. F. Facium Collectaneis antiq. p. 198 sqq. congessit Lobeckius in Aglaoph. I, p. 51 sqq. Susceperunt ista θαύματα a paganis Christianae fidei sectatores, quorum tamen in eodem studio dispar ratio fuit. Etenim Graeci et Itali veteres in intuendis et venerandis reliquiis suis naturam ducem sequebantur: allicere ex longinquo superstitiosam plebeculam, arcanas vires affingere sanctis reliquiis, inanibus pollicitationibus sacculos credulorum expilare, ea vero astutulorum fraudulentia pontificiorum addidicit. Praeter ollam aheneam, in qua Pelias coctus, et Teucri sagittas in aede Apollinis Sicyonii monstrabant *chlamydem Ulixis*, si fides Ampelio Mem. VIII, 68. Ea chlamys fueritne ἄῤῥαφος — nam novi sub sole nihil — nec dixit Ampelius, aridus scriptor, nec doctores Bonnenses quaesiverunt. Igitur qui volent opinabuntur.

Serpserunt istiusmodi deliciae paullatim longius et ad privatos quoque homines pervaserunt. Nec coniunctus cum istis morbus quidam inauditus veteribus fuit. Scilicet illustrium virorum libros, vestes, chirographa, utensilia alia id genus conquirere et immani pretio coemere, id quod hodie si minus in nostratibus, certe rarius in nostratibus, at in Anglis fieri videmus, iam inter veteres Graecos extiterunt qui praeirent recentioribus populis. Narrat Lucianus adv. indoct. XIII sqq., fuisse sua aetate, qui Epicteti Stoici lucernam tribus milibus drachmis emisset; alium nuper Protei Cynici bacillum, quo abiecto in ignem se coniecisset Proteus, talento emptum religiose servare et ostendere, prorsus ut Tegeatas Calydonii pellem apri, Thebanos ossa Geryonis, Memphitas Isidis capillos. Tum Dionysius tyrannus, ut idem refert Lucianus, cum male procederent tragoediae suae et ab intelligentibus risu exploderentur, Aeschyli pugillares sibi comparavit studiosissime, unde spiritum divinum afflaturum sibi persuasisset.

Vides, a quam sano et probabili principio in quantam vesaniam amor ille et

possit degenerare et iam antiquis degenerarit. Nunc age, Romanos exploremus quales fuerint in artibus potissimum contrahendis et aestimandis.

Graecia capta cum ferum victorem cepisset imbuissetque agreste Latium litterularum Graecarum artiumque aliquo gustu, gliscente studio suave Romae haberi coeptum est, suspendere pictis voltum mentemque tabellis, statuas, imagines, gemmas, vascula Graeca possidere et iis vel privatas domos exornare. Sed Romani cum non tam natura facti essent ad callide persentiscendas virtutes artium, quam per discrimina rerum publicarum peregrinos ad se mores transtulissent: facile eo traducebant luxuriam artium per homines urbanos late sparsam, ut prisca demum expeterentur et quae peculiarem aliquam a pretiosa materia vel a pristinis possessoribus haberent commendationem. Pretium artibus fecerunt anni: hinc fit, ut *veteres* statuas, vasa *vetera* laudibus tollantur ubique: nihil illis carius aere Corinthio nobilissimo; denique nihil ardentioribus votis expetitum quam vasa ab heroibus Graecis Italisve olim usurpata. Vel fabulosae aetatis utensilia poetarum carminibus nobilitata credula gens amatorum iactabat, tametsi ea nunquam extiterunt praeterquam in cerebello poetarum. Quales delicias superstitionis Romanae qui saepius ridet Martialis, ad vivum expressit odiosam garrulitatem istorum furiosorum in Eucto Auctove quodam, VIII. 6.

Archetypis vetuli nihil est odiosius Eucti:
ficta Saguntino cymbia malo luto,
argenti fumosa sui cum stemmata narrat
garrulus et verbis mucida vina facit.
»Laomedonteae fuerant haec pocula mensae:
ferret ut haec, muros struxit Apollo lyra.
Hoc cratere ferox commisit praelia Rhoecus
cum Lapithis: pugna debile cernis opus.
Hi duo longaevo censentur Nestore fundi:
pollice de Pylio trita columba nitet *).

*) Non solus habebat Euctus: Athenaeus XI, 489, B. *Καὶ νῦν ἐστιν ἰδεῖν ἐν Καπύῃ πόλει τῆς Καμπανίας ἀνακείμενον τῇ Ἀρτέμιδι ποτήριον, ὅπερ λέγουσιν ἐκεῖνοι Νέστορος γεγονέναι· ἔστι δὲ ἀργύρεον χρυσοῖς γράμμασιν ἐντετυπωμένα ἔχον τὰ Ὁμήρου ἔπη.* Et quisquam dubitabit!

Hic scyphus est, in quo misceri iussit amicis
largius Aeacides vividiusque merum.
Hac propinavit Bitiae pulcherrima Dido
in patera, Phrygio cum data cena viro est.»
Miratus fueris cum prisca toreumata multum,
in Priami calathis Astyanacta bibes.

Adeo omnis memoria rerum antiquarum ab antiquariolis Romanis susque deque habebatur, id quod salse notat in ineptulo Trimalchione Petronius Arbiter c. 51. «In argento», inquit, «plane studiosus sum. Habeo scyphos urnales, quemadmodum Cassandra occidit filios suos et pueri mortui iacent sic, uti vere putes. Habeo capidem, quam reliquit patronorum meus (corrigunt *Patroclo Prometheus*), ubi Daedalus Niobam in equum Troianum includit.» Celeberrimorum nomina artificum confingere iisque insignire artes suas impune erat: Myos, Myronis, Mentoris aliorum. Nam vel eorum abutebantur nominibus, quos in vasculis fundendis et caelandis elaboravisse prorsus fidem excedit. Veluti Myronem phialas confecisse uni Martiali credimus, si quidem credimus: quid quod ipsos Phidias et Polyclitos crepabant, incassum magnifici? Quae tamen gloriosa vanitas vel historiae artium scriptoribus imposuit prudentissimis, qui non satis ab inanibus verbis distinguerent id quod res est. Sed hoc argumentum commentariis in Martialem accuratius persequendum sepono.

Quorsum illa disputabam? Nimirum furorem illum veterum artium Horatianus profitebatur Damasippus, homo olim opulentus, lautus, elegans, venator artium peritusque arbiter, postremo cupidissimus emptor et cum lucro venditor. De quo homine constat ex Ciceronis epp. ad Atticum XII, 29. et ad Familiares VII, 23. Deliciae enim illae Euctorum Romanorum provocarant homines lucri cupidos, qui vesaniis empturientium in suum commodum fruerentur; simul qui se mystagogos artium hominibus ad ista ἀπόῤῥητα stupentibus ingererent, verbis suaviter compositis de divina artium praestantia oracula funderent, historiam denique artis et artificum perscrutarentur et scienter enarrarent. Hos Romani *intellegentes* et *callidos* vocitabant. Talem se exhibet Damasippus Horatii in tertia libri secundi una omnium praestantissima satira.

Tum enim ex divite pauper factus sapientem pascebat barbam, postquam Stoicorum se turbae dedidit instigatore Stertinio. Scurra Capucinis nostris linguae volubilitate et dicacitate comparabilis Horatium in villa sua otiantem incre-

pat, quod cum nil dignum sermone canat et edere cesset, invidiam placare studeat virtute relicta. Enimvero vitandam esse improbam Sirena, desidiam, aut quicquid vita meliore pararit, ponendum esse aequo animo. Cui postquam Horatius verum ob consilium non sine iocosa mordacitate gratias egit, «sed unde», ait, «tam bene me nosti?» Respondet Damasippus verss. 18 sqq.

Postquam omnis res mea Ianum
ad medium fracta est, aliena negotia curo
excussus propriis. olim nam quaerere amabam,
quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere,
quid sculptum infabre, quid fusum durius esset.
Callidus huic signo ponebam milia centum;
hortos egregiasque domus mercarier unus
cum lucro noram, unde frequentia Mercuriale
imposuere mihi cognomen compita.

Quae verba tametsi non singularem aliquam vel a rerum obscuritate vel a verborum legentibus obiiciunt difficultatem, tamen ubi ad vivum resecabis, in diversa abire interpretes intelliges. Callidum olim fuisse Damasippum artium aestimatorem, amatorem, mercatorem constat dici: sed eam sententiam quibus potissimum coloribus exornarit poeta, incidit quaestio. Acquiescunt interpretes, quos norim, paene omnes in ea sententia, quam a veteribus scholiastis traditam inter alios Heindorfius amplexus est. Versus 20 sq. enim hanc mentem volunt esse, ut Damasippus se olim antiqua vasa comparare quaesisse dicat Corinthia: quocum comparant vers. 64. *Insanit veteres statuas Damasippus emendo.* Nempe verbum *quaerendi* significare h. l. conquirere aes eiusmodi, quo ille olim Sisyphus pedes lavisset; traduci amores Romanorum, qui vel Sisyphei aevi monimenta avide venarentur. Quaestionem de vetustate et origine aeris Corinthii ne verbo quidem tangi. Haec fere illi.

Ergo si Heindorfium audimus, Damasippus haec dicit: «Olim solebam conquirere ahenea vasa vetusta Corinthia aliaque quae sculpta infabre et fusa durius summam antiquitatem testarentur.» Nempe in laudem artium ista accepit Heindorfius. A quo ego prorsus dissentio.

Nam primum si quis conformationem structurae ad lapidem Lydium exigit, sermo monstrare ipse videtur, *quaerendi* verbum inquirendi potius et perscrutandi quam conquirendi habere significatum. Concedo, vers. 21. pati alteram rationem,

vers. 22. pati nego. Etenim qui quaerit, *quid* sculptum infabre, *quid* fusum durius sit, non tam conquirit sculpta infabre et fusa durius, sed qualia illa sint rimatur et anquirit. Illud si poeta dicere voluisset, debebat, si quid video, scribere *quod sculptum infabre, quod fusum durius esset.* Intelligamus igitur, hoc sibi velle Damasippum, oculos se in virtutibus vitiisque artium expendendis exercitavisse. Praeterea quanquam Romani amantiores erant priscorum, non illi tamen iis potissimum inhiabant quae artificio penitus carerent. Potius ita tenebant, ut cum vetustate elegantiae laudem coniunctam esse vellent: sic Verres Ciceronis act. I, 5, 14. deum nullum Siculis, *qui ei paullo magis affabre atque antiquo artificio factus videretur*, reliquit. Quod autem Damasippus illud maxime quaesisse dicit, quid infabre sculptum, quid fusum durius esset, non quid affabre et elegantius: de praestantia artium indaganda eximie et naturae humanae congruenter siletur. Scilicet tum demum calliditatem ostentamus nostram, cum de pretio operum artis superbo voltu detrahimus et ita disputamus, ut a communi hominum admiratione nostram intelligentiam plane segregemus. Tum nobis sapere supra volgus videmur et cernere acutius serpente Epidaurio.

Revertor ad verss. 20 sq., quibus aiunt subesse hanc mentem, ut Damasippus vasa Corinthia aevi prisci conquisivisse dicatur universe. Solane ille pollubra venabatur? At de peculiari quadam illorum cura non constat: pocula potissimum adamarant. Verum esto: ne pollubra quidem repudiabant qui iidem *catilla Evandri manibus trita* sectabantur. At rursus mirum, pollubris potissimum studia Damasippi aestimari. Adde aliud. Eucti Romani amabant artes vetustas ad certum aliquem heroem alligare eorum, qui carminibus nobilissimorum poetarum essent celebrati. Unde probabile debet videri, Damasippum et ipsum certum quoddam pollubrum Sisyphi habuisse in animo; nam qui in manibus habuisse dicunt, nimium extorquent ex verbis poetae. Postremo, si universe diceret Horatius vasa Corinthia, non erat profecto otiosa ille et ignava vafri appellatione usurus, quanquam Sisyphus, ut est ominosum nomen, ob vafritiem inde ab Homero erat in ore poetarum. Sed epicorum hoc est, ut epithetis certis et fixis singulorum mores heroum tanquam singulari nota insigniant: contra satirici poetae curare debent, ne epitheta soli ornamento et alienae delectationi inserviant, sed ingenio orationis accommodata eloquantur quod in praesentem imaginem scite cocat. Iccirco Archilochus epicorum illis scitamentis valedixit in carminibus probrosis primus, de quo eximie admonuit C. O. Muellerus hist. litt. Grr. I, 247.

Demonstrasse mihi videor vulgaris illorum versuum explicatio quot quantisque implicata sit difficultatibus. Longe acutius de vera sententia Horatii unus divinabat Wielandius, cui subsecutos interpretes non obtemperavisse mirationem facit. Is haec ascripsit p. 116. »Das *quaerere amabam, quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere,* bezieht sich, meiner meinung nach, nicht auf die bekannte liebhaberei der Römer für kunstsachen, die keinen andern werth als ein hohes alterthum hatten: sondern auf eine frage, worüber unter den elegantioribus disputirt wurde: nehmlich, ob das so hoch geschätzte *corinthische erz* eine den alten schon bekannt gewesne composition, oder ob es, wie die meisten glaubten, erst durch den bloßen zufall bei zerstörung der stadt Corinth durch den consul Mummius entstanden sei.« In eandem sententiam liberius ille, at ingeniose verba poetae uberius circumloquendo adumbravit clarissime.

Sed quod dicebam, Wielandium de vera mente Horatii divinasse: nostrae aetatis interpretes litem dirimere certissime potuerant et verum intellectum patefacere, si aures praebuissent felicissimae observationi viri carissimi, F. Th. Welckeri, qui verbo significavit in libro de trilogiis Aeschyliis p. 555., Horatio obversatum esse locum dramatis satyrici Aeschylii, Sisyphi fugitivi, ex quo alium in finem excerpsit Iul. Pollux disputans de vasculis, quibus pedes lavabant veteres, Onom. X, 22, 77. haece: Ἔξεστι καὶ σκάφην ὀνομάσαι κατ' Αἰσχύλον που εἰπόντα ἐν Σισύφῳ (fr. 206. Schutz.)·

Καὶ νίπτρα δὴ χρὴ θεοφόρων ποδῶν φέρειν.
Λεοντοβάμων ποῦ σκάφη χαλκήλατος;

Non enim erant hi versus sine ulla intercapedine conglutinandi: quaedam intercesserunt haud dubie inter priorem et alterum a grammatico praetermissa: illum excitavit, ut claresceret quam potissimum σκάφην diceret Sisyphus.

Sisyphi enim illa erant apud Aeschylum verba. Sed age, argumentum fabulae enarremus, ducem secuti Pherecydem in scholiis Iliad. Z, 153. sive apud Sturzium fr. 41. p. 165. Iuppiter cum Asopi filiam Aeginam rapuisset eamque in Oenonam auferens per Corinthum fecisset iter, Sisyphus, qui deum conspexerat, quaerenti patri raptorem filiae prodidit. Ob eam perfidiam iratus Iuppiter Mortem mittit ad Sisyphum. Qui, ut erat callidissimus, comperto quid ageretur Mortem in valida vincula coniicit. Ibi tum nemo mortalis moriebatur, donec laboranti Morti succurrit vel Mars vel Pluto, qui solutis vinculis Sisyphum Morti tradidit. Sed ille antequam abiret unde negant redire quenquam uxori iniungit

suae, ne sibi inferias mortuis debitas in Orcum demittat. Obtemperat Meropa. Post aliquod tempus Plutonem, cui de fraude Meropae persuasisset, exorat, ut sibi liceat reverti in dias luminis auras, castigaturo mulierem. Fauces Orci feliciter eluctatus multum valere iubet Plutonem *vafer ille:* Corinthum redux regali voltu servis discursantibus imperat, fruitur deliciis vitae lautioris, donec a Mercurio per vim in Orcum retrahitur.

Illa igitur verba Aeschyli eo pertinent, ut Sisyphus peregre adveniens, uti assolebat, lavacrum sibi apparari iuberet. Sed quid pollubrum Sisypheum ad Romanos? Multum sane ad illos. Quis ignorat, quam acriter inter callidos controversia agitata sit quae erat de origine et antiquitate aeris Corinthii? Quippe pervolgata erat opinio, massam illam casu potius mixtam extitisse quam arte temperatam. Capta enim per Mummium urbe — Hannibalem maluit Trimalchio Petronii c. 50. — et incensa perustis plurimis simulacris atque statuis fabulantur aeris auri argenti venas in commune fluxisse, ex qua massa catilla, paropsides, statuncula alia fecisse fabros. Confer Plinium N. H. XXXIV, 2. Florum II, 16. et disputationes M. A. Mureti varr. lectt. III, 5., Al. Hirtii in Boettigeri Amalthea I, 244 sqq., Meyeri ad Winckelmanni opp. V, 431. Qui rumor ortus mihi inde videtur, quod ratio aeris illius conflandi dudum in obscuro latebat. Sed qui unice vetustissima quaeque exosculabantur, aegre ferre debebant, quod aeris Corinthii ultra modum expetiti origo ad recentiora saecula detruderetur. Quo rationes vetustulas suas mirifice conturbari sentiebant. Igitur ut frustra vanitas sua illius fide narratiunculae redargueretur, perreptabant vel abditos angulos litterarum, si quid alicunde caussae suae patrocinium invenirent. Nam statuas quidem ex aere Corinthi diu ante Mummium fieri solitas ex fide historiae docebant: anxie circumspectabant vasculorum amatores, ecquid ex testimoniis veterum monimentorum posset erui, quo planum fieret, insulsorum illam opinationem ne de vasculis quidem valere Corinthiis. Excitati ad quaerendum incidebant in Aeschylei Sisyphi λεοντοβάμονα σκάφην χαλκήλατον, quam cupide arripiebant. Nempe Sisyphus Aeolida Corinthi lavabat pedes haud dubie aere Corinthio. Quidni? Ergo qui repugnabant populari fabellae homines elegantiores — studiose autem et tanquam pro aris et focis repugnasse credimus —, Aeschylio testimonio usi repugnabant: contra alii, ut opinari licet, sobrii homines, nihil magno opere inde effici statuebant. In eo autem ζητήματι callide solvendo occupatum se fuisse ait Damasippus, quo probet, se vel arcana artium attigisse. Iam si quaeris, ea sen-

tentia, ut Corinthia vasa ultra Mummianam excisionem ascendere iudicarentur, videtur evicisse comparanti Martialem IX, 58. *Nil est tritius Hedyli lacernis: Non ansae veterum Corinthiorum* et quae sequuntur.

Forsitan exoriatur quispiam, qui ratiocinationem nostram ita evertere conetur, ut in grammaticos potius ἐνστατικοὺς quam in callidos illos artium arbitros tale ἀπόρημα cadere defendat: de Nestoride, ita mihi audire videor occinentem, multos sane quaesisse, veluti Asclepiadem Myrleanum, grammaticorum filios, non artifices: nec inter architectos motam controversiam fuisse, ex quali materia fabricata Argo fuerit. Ita qui pugnat, eum considerare iubemus, illas de singulis operibus quaestiones poetarum versibus exornatis unice decuisse interpretes poetarum: de Corinthiis quaestionem multo latius patuisse et in usum vitae commerciaque tunc hominum summum habuisse momentum. Nam incredibilis aeris Corinthii sitis elegantiores Romanos incesserat. Plinius N. H. l. c. scribit: «Mira circa aes Corinthium multorum affectatio fuit, quippe cum tradatur, non alia de causa Verrem, quem Cicero damnaverat, proscriptum cum eo ab Antonio, quam quod Corinthiis se ei cessurum negavisset. At mihi maior pars eorum simulare eam scientiam videtur, ad segregandos se a ceteris magis, quam intelligere aliquid ibi subtilius.» Similes de Augusto rumusculi percrebuerant, cfr. Suetonius August. 70. «Augustus notatus est ut pretiosae suppellectilis Corinthiorumque praecupidus. Nam proscriptionis tempore ad statuam eius ascriptum est:

Pater argentarius, ego Corinthiarius,

cum existimaretur, quosdam propter vasa Corinthia inter proscriptos curasse deferendos.» Corinthia sua ditiorum furore pretiosa anxia subtilitate concinnabant amatores et maiorem dierum partem in aeruginosis lamellis consumebant, teste Seneca de Brev. Vit. XII. Decipiebantur a fraudulentis negotiatoribus, ut fit, qui vera intelligentia carebant, adulterinis vasculis Corinthon mentitis: qui callebant artes, *consulebant nares, an olerent aera Corinthon,* ut Mamurra Martialis IX, 60, 11. Archetyporum propugnatores traducit Petronianus nebulo, qui «solus sum», gloriatur c. 50., «qui vera Corinthia habeam. Forsitan quaeris, quare solus Corinthia vera possideam? Quia scilicet aerarius, a quo emo, Corinthus vocatur.» Inter officia domus Augustae erant *Corinthiarii,* quibus essent vasa Corinthia aliaque id genus pretiosiora curae, vide Inscriptt. apud Forcellinum s. v.

In tali tantaque admiratione Corinthiorum ecquis negabit pertinuisse ad elegantiores etiam homines, disceptari fortiter de origine et vetustate aeris illius?

Immo disceptationes illae a persona istorum eo minus alienae videri debent, quando pretia artibus *vetustis* demum statuenda dubitationes eius modi excitabant, quas aliqua machina componi valde illorum intererat.

Sed hoc totum quale sit, verumne tetigerim, an, dum consector probabilia, videar lapsus esse, Tu iudicabis, *Chr. G. Mitscherlichi*, Vir perillustris, ad quem dudum festinat oratio mea. Tuum enim iudicium subtile atque elegans poetarum veterum assidua lectione subactissimum nosti quanti faciant quotquot vel praestantissima scripta Tua accuratius cognoverunt, vel disciplinae Tuae severitate usi sunt, vel domestici usus necessitudine Tecum coniuncti vivunt. Tu igitur aequi bonique consulas exiguum hoc amoris erga Te mei atque pietatis, quae summa est, documentum. Quod ego non ausus essem offerre Tibi, nisi turpe putassem committere, ut raram Tuam hodierni diei felicitatem, quod in me esset, inornatam silerem. Si viverent, quos oculi Tui, sat scio, in congratulantium caterva hodie requirent praeter ceteros, viri desideratissimi, *L. Dissenius* et *C. O. Muellerus*, collegae nuper Tui, nae illi digniora Tua persona munera erant dedicaturi. Sed Muellerus quidem cum ante hos decem annos publici muneris a Te suscepti πεντηκονταετηρίδα gratulatus racemationibus illis Tuis, quibus Tu nonnisi maturissimas uvas et quae aliorum vindemiatorum manus fugerant, decerpsisti, subacerbam *omphaca* illam suam — ita enim eximia modestia aureolum libellum appellavit — adiecit: a mea mediocritate nihil Tu admodum praeter hanc incertam οἰνάνθην expectabis.

Nos autem, qui vita fruimur, laeti celebremus hanc lucem notatam candidiore lapillo. Paucis perorabo, verbisque simplicibus et ex intimo pectore haustis. Nam ego in ceteris virtutibus Tuis, *Vir Venerabilis*, quibus multis magnisque condecoratus es, maximi semper feci ingenuam simplicitatem illam et antiquam, qua quicquid nimium est et aliquam simulationis speciem habet, aspernaris atque odisti. Igitur missis praeconiis vel verissimis, quibus Tu, *Mitscherlichi*, non eges, in votorum nuncupatione acquiescam. Faxit vitae largitor aeternus, deus immortalis, ut fortunata Pylia senectus Tua paene trisaeclisenis extremos humanae vitae terminos attingat placida atque incolumis, cum mente sana in corpore sano. Haec plurimi hodie nobiscum piis votis deum optimum maximum precantur collegae, amici, discipuli. Vale.

12